



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore  
Animato Lib. VII.**

**Dandini, Girolamo**

**Parisiis, 1611**

Digres. 19. De multiplici intellectus appellatione, ad tex. com.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)



» habere propriam. Et rursus. Necessarium igitur  
 » huiusmodi intellectus nullam esse propriam naturam,  
 » neque formam; vt alienas possit, tum naturas,  
 » tum formas recipere. Nullamque habere sepa-  
 » ratam speciem; cum omnes complecti natus  
 » sit.

*Intelle-  
 ctus ha-  
 bitu  
 quid.*

Intellectum autem habitu eum esse credidit Ale-  
 xander, qui velut prioris forma & perfectio est in  
 adultis disciplinis excultis hominibus; quos perito-  
 s, scientesque appellamus. Qua in re secus plane  
 habet in intellectu, quam in deambulatione. Etenim  
 in deambulatione tum deambulandi facultas inest  
 à natura cum primum nascimur; tum eius actus &  
 perfectio procedente ætate natura superuenit. At  
 facultas intelligendi, natura quidem ab omnibus  
 possidetur, hicque est intellectus potestate; illius  
 vero habitus, qui scientiis, ac disciplinis continetur,  
 natura nequaquam acquiritur, sed labore & in-  
 dustria comparatur; ideoque reperitur in paucis.  
 Nam ex assidua circa res sensibiles functione, atque  
 ex illis vniuersarum naturarum inspectione ac con-  
 templatatione consueque proficit, vt illarum habitum  
 consequatur, quo vel absque sensuum adminiculo  
 cognoscere per se valeat, & contemplari. Hic dum  
 actu non operatur, intellectus est habitus; dum ope-  
 ratur, iam intellectus actu dicitur, omnium scilicet  
 perfectissimus.

*Intelle-  
 ctus  
 actus.*

Philoponus autem, & apud eum Ammonius, cum  
 Alexandrum reprehenderunt, quasi intellectum  
 actu dicentem esse intellectum diuinum forinsecus  
 nobis accedentem; aut hominis sententiam non  
 satis tenuerunt, aut calumniosè egerunt. Hæc nam-  
 que sunt ipsius verba, vbi de intellectu actu dis-  
 scit. *Ἐπεὶ οὖν τὸ δῖον ἢ τῆς ἀφ᾽ ἑαυτοῦ ἐκπέφυκεν ἡ φύσις,  
 ἢ τῶν ἄλλων ἔχει τὴν ἀπόδειξιν, ἀποδεικνύει τὴν φύσιν  
 αὐτῆς, ὡς τὸ πᾶν τὸ ἐξ ἑαυτοῦ ἐκπέφυκεν, ἀποδεικνύει τὴν  
 φύσιν αὐτῆς.* Intellectus, inquam, actu est habitus ope-  
 rans, alioqui intellectus habitu nil aliud est, quam  
 velut deposita, coaceruata, & quiescentes notio-  
 nes. Vbi vero agit de intellectu agente, diuino &  
 extrinsecus accedente, eum facit vt causam, quæ  
 intellectum potestate traducat ad habitum. Si igitur  
 intellectus agens habitum antecedit, quo is, qui  
 actu dicitur, posterior est; quomodo dici potest in-  
 tellectum actu fuisse illi diuinum intellectum agen-  
 tem? Alter omnium primus, in modò prima omnium  
 causa est; alter omnium postremus: tum intellectu  
 inquam agente, patiente, & qui est habitus: tum re-  
 bus ipsis intelligendis. Idem fortasse de Plutarcho,  
 quem illi eiusdem criminis reum fecerunt, existi-  
 mare licet. Qui enim credi potest sapienti vlli Phi-  
 losopho in mentem vnquam venisse asserere, diui-  
 num intellectum extrinsecus accedentem actu in  
 nobis operari, atque intelligere? Quippe intelle-  
 ctio vitalis est operatio, quæ non nisi ab interno,  
 & in ipsa intelligente natura posito principio nasci  
 potest. Et habitus nonne operationis & actus prin-  
 cipium est? quorsum enim habitus comparatur,  
 nisi vt in nobis ipsis habeamus vnde promptè, & fa-  
 cile operemur? Ille ipse igitur intellectus, qui ha-  
 bitu dicitur, est qui intelligit; quique dum ope-  
 rat, actu efficitur. Agentem autem intellectum, qui  
 Deum, aut separatam aliam naturam, aut certè ani-  
 mæ facultatem à patiente diuersam posuerunt; non  
 idè posuerunt, vt intelligeret; sed vt res materia-  
 les, & sensibiles actu intellectuales faceret, quò à pa-  
 tiente intellectu intelligi possent. Patientem au-  
 tem hunc cum potestate dici, antequàm intelligat;

tum habitu, postquam intelligendo cognitionum  
 sibi habitus comparauit; ac demum actu, cum se-  
 cundum adeptos habitus operatur. Neque enim  
 potestati minus responder actus, quam habitus:  
 ad eundemque, qui potestate dicitur, & habitus,  
 & actus pertinent. Nec minus dictus est Aristo-  
 teles intellectum, qui actu appellatur, ex intelle-  
 ctu potestate fieri. Verum dum hoc loco desillo  
 duntaxat intellectu, qui animæ pars est, dicen-  
 dum proponitur; illud ipsum, quod de agente in-  
 tellectu dicitur eum esse Deum, aut separatam  
 quampiam substantiam; manifestum est neque-  
 quam Aristotelis doctrinæ congruenter dici. Om-  
 nes enim intellectus, qui in consequenti tota tra-  
 ctatione commemorabuntur, rationalis animæ  
 Partes, & facultates esse oportet. Neque hic (vt  
 Simplicius multis persequitur) de intellectu sepa-  
 rato agendum erat, sed de eo, cuius particeps est  
 rationalis anima: Etsi non de eo præcipue, sed de  
 anima rationali agatur.

Itaque in Alexandri sententia duo sunt repreh-  
 hendenda. Alterum; quòd agentem intellectum  
 animæ Partem non fecerit. Alterum; quòd intel-  
 lectum potestate, tum operatione, tum substan-  
 tia, potestate esse definiit; hoc est puram & sim-  
 plicem ad omnia potestatem, nullum autem peni-  
 tus actum. Etenim Aristotelis auditor Theophrastus  
 secus prodidit in libro de Phantasia, & intellectu  
 capite 4. & 8. vbi intellectum potestate cum ma-  
 teria comparans; Absurdum, inquit, si intellectus  
 sic materiæ naturam haberet, vt sic nihil, sed po-  
 testate omnia. Quare potestate dici interpretatur  
 comparatione intellectus agentis, a quo intelle-  
 ctibus formis exornatur, & perficitur. Et verè si  
 sola potestas esset, nihil esset. Quippe cum po-  
 testas negationem actus significet; pura potestas,  
 quæ actum omnem excludat, omnino nihil faceret;  
 vt pluribus ibi deductum est, vbi primam ma-  
 teriam ostendimus puram potestatem non esse. Eo-  
 demque modo, quo id de patiendi potestate ostendit-  
 ur, de agendi quoque facultate potest demonstr-  
 strari. Quare vt illa subiecti quendam actum  
 maximè indeterminatum significat ad formatum  
 omnium determinationes suscipiendas idoneum;  
 ita hæc actum quempiam formæ habere debet,  
 quo ipsa quidem actu sit, & determinata actu pri-  
 mo, sed potestate atque indeterminata ad secundas  
 omnes operationum actus; etsi hæc in ipsa remaneat  
 ad eas omnes suscipiendas apta.

Certè in reliquis omnibus agendi facultatibus  
 ita res habet. Et vt merè naturalia mittam; ve-  
 getantes omnes animæ facultates, sentientes,  
 appetentes, mouentes, nonne quempiam cuius-  
 modi actum primum de genere qualitatis signifi-  
 cant, qui potestate sit ad secundum? At que  
 secus iudices de intellectu, qui non minus, quam  
 illa, facultas animæ est ad intelligendum com-  
 parata? quomodo operatio à potestate mera  
 producat? An non actus omnis secundus à  
 primo, tanquam à fonte nascitur, operatioque  
 omnis à forma? Vt igitur sensus ad sentientias  
 res, ita intellectus ad intelligendas se habet: il-  
 le ad certum genus rerum, nempe sensibilibus,  
 hic ad omnes planè. Ille actu quidpiam est, po-  
 testate ad omnium rerum sensibilibus formas ter-  
 tiendo suscipiendas, nullamque earum habet actu.  
 Hic actu item primo aliquid est, sed ad eundem  
 rum

*Dandi*

rum planè rerum (omnes enim intellectibiles sunt) formas intelligendo excipiendas potestate; nihilque eorum est, quæ extra se intelligere potest. Verùm hoc præstat sensui, quòd cum immaterialis, & incorporatus sit, non solum alia à se diuersa potest cognoscere, sed in seipsum etiam sese conuertere, seque ipsum intelligere, tum operationem, tum naturam, ac suæ operationis & naturæ cognitam formam suscipere. Quod dum facit, natura eius realis velut subiectum est; eademque ut cognita est, tanquam forma existit, que in eo subiecto suscipitur, eamque excolit & perficit. Hanc sane si suscepturus est intellectus, habere actu non potest. Ad eam igitur est potestate, quatenus forma cognita à naturali, & in rebus existente diuersa est. Denique cum Philosophus ipse post in tex. 38. intellectum appellet formam formarum, non debuisset eum Alexander formæ & actus omnis expertem dicere. Et hæc quidem nunc ad Alexandrum; deinceps plura. Iam Themistius eisdem sentire visus sit; eo tamen, quem proposui, loco nil aliud sibi voluit, quam speciebibus omnibus, & rerum cognoscendarum formis spoliatum eum esse, ut cognoscere omnes queat. Quod sane verissimum est.

Plutarchus autem rationale animam accipiens omnia scire; nec aliud quidquam disciplinas esse, quam reminiscencias: primum ait esse intellectum habitu, eumque in pueris; & rerum quidem omnium rationes habere, sed indigere disciplina, velut earum reminiscencia.

Alterum tum habitu, tum actu: huncque in perfectis hominibus, in quibus operatur, rebus per disciplinam in memoriam reuocatis. Tertium denique intellectum actu solum, qui separatus est, & externis adueniens. Verùm in nullo planè partitionis huiusce membro accommodatè loquutus est. Enimuerò, ut postremum mittam, de quo iam in Alexandri sententia diximus; si idis voluit, quod testatur Philoponus; nequaquam is intellectus animæ pars est. In primo autem Platonis opinionem Aristoteli tribuit; quam tamen ipse consutauit interdum. Deinde intellectum potestate, & intellectum habitu, quos Philosophus diuersos posuit, in primo illo membro ipse confudit. Atque intellectum puerorum, quem tabellæ, in qua nihil sit scriptum, prædicat esse per similem, cognitionum habitibus exornatum ac pictum facit.

Vera igitur Aristotelis in hoc triplici intellectu nominando hæc est Ammonij, Philoponi, & aliorum interpretatio sententia. Eos omnes rationalis animæ partes ac facultates, seu potius vnam & eandem facultatem alio atque alio modo consideratam esse. Formamque, & actum quandam primum significare, capacem & susceptivum cognitionum, velut formarum rerum omnium cognoscendarum. Quam ob causam forma formarum, & locus formarum appellatur. Is in pueris antequam rerum cognitiones adipiscatur, earumque formis susceptis perficiatur, potestate dicitur, & ut nondum scripta tabella. Habitu autem in adultis, & perfectis, postquam cognouit, scientiarumque sibi habitus comparauit; sed cessat, quiescit, non contemplatur, nec actu considerat. Postremò actu quoque; dum habitu comparato vitur, reque ipsa cognitas

res tractat, & in iis considerandis versatur, ac secundum habitum acquisitum operatur. Triplicem hunc intellectum ab Aristotele explicatum item habes in textu 55. & 56. superioris libri; cum hominem tribus modis tradidit scientem dici posse. Aut, quòd mente ac ratione præditus sit, qua scientiæ capax existat: Aut quòd scientiæ quoque habitum habeat, sed eo non utatur; ut qui Grammaticam habet, sed somno, aliâ re impeditus Grammaticè nihil scribit. Aut demum cum operatur actu Grammaticæque cognoscit quidpiam, aut scribit. Quocirca imperfectissimus est is, qui potestate existit; perfectissimus, qui actu; inter vtrumque medijs, qui habitu. Qui (ut dixit Alexander) quantum ab eo deficit, qui per habitum operatur; tantò eum, qui est potestate, superat. Nam primus actum quidem habet facultatis animæ; sed potestate est, tum ad actum primum habitus, tum ad actum secundum operationis. Alter ad solum actum secundum. Tertius nullo modo potestate, sed omni ex parte actu. Primus omnia patitur, aliundeque absoluitur. Secundus ex se ipso operari potest, & perficit. Postremus omni ex parte perfectus est. Intellectum potestate velut materiâ esse dixeris: Eum habitu, ceu prioris illius actum & formam: Eum demum, qui actu, tanquam actum & perfectiorem supremam eius, qui est habitu. Eodemque modo, quo materiâ, formam, & formam operantem, hos omnes comparaueris.

Rursum hic idem intellectus, dum agendarum rerum habitibus præditus est, in earumque cognitione occupatur; Practicus appellatur, siue habitu, siue actu: Aut Theoreticus; si vel habitu, vel actu in sola cognitione versetur. Adde etiam Organicus, si in instrumentis consumatur, quibus tum theoreticæ, tum theoreticæ cognitiones parentur ac sustententur: Cuius generis logica habitum & cognitionem esse pronuntiaueris.

De intellectu agente maior difficultas; quæ pluribus post explicabitur. Hunc tamen ipsum eiusdem animæ facultatem esse, hic ipse Aristotelis locus testatur: siue ab eo diuersus sit, qui patiens seu potestate dicitur; siue idem ipse alio modo consideratus. Quòd si idem ipse sit, qui ut intellectum producit, agens dicatur; ut ad eam suscipiendam est potestate, eamque re ipsa suscipit, potestate & patiens nuncupetur: facilius exponemus quemadmodum intellectus ille nominari debeat, qui antequam habitum adeptus sit, in cognitionibus versatur, quibus habitum sibi comparat. Neque enim intellectus potestate, quia operatur; neque habitu, quia habitum nondum habet, appellari potest. Neque item intellectus actu vocabitur; quoniam hic actus supponit habitum; isque intellectus actu dicitur, qui omnium perfectissimus est, atque ex iam parato habitu operatur. Agens autem, hoc est operans & actum secundum promens verè nominabitur; velut is, qui ex potestate transit ad habitum atque actum perfectum, qui ex habitu proficiscetur.

Hoc si ita sit, vnicum in nobis concludemus esse re ipsa intellectum; qui diuersis modis consideratus alia atque alia sortiatur nomina. His ita explicatis Aristotelem iam docentè facilius intelligemus.

TEXTVS.

Εἰ δὲ τὸ νοεῖν ὡς οὐκ τὸ αἰσθάνεσθαι, ἢ πᾶσι πᾶσι εἶναι ὡς αἰσθάνεσθαι, ἢ πᾶσι οὐκ εἶναι.

Tex. 2. Ergo si intelligere est velut sentire, aut fuerit utique pati quoddam ab intellectu, aut aliud quodpiam eiusmodi.

COMMENTARIVS LXXII.

**A**liam hic quaestionem à superioribus diuersam proponi, num intelligere sit planè sicut sentire; Magnus Albertus censuit. Sed tum aliorum omnium iudicio confutatur: tum illa ipsiusmet Philosophi voce (ergo) quæ non quaestionem nouam; sed earam, quæ propositæ sunt, explicationis initium significat. Tum demum re ipsa. Quippe num intelligere sit sicut sentire, ad illam ipsam quaestionem pertinet, quomodo intellectio fiat, quid ipe ipsa sit. Qui ergo Philosophi sensum magis assequuti sunt, eum quaestiones propositas aggredi statim dixerunt. At inter hos ipsos non parua dissensio: Quibusdam priorem primo, posteriorem secundo loco tractari; aliis contrà contententibus. Et inter ceteros Philoponus superiora verba (quam differentiam habeat) de comparatione intellectus, & sensus interpretatus; nunc ait exponi, quid his duobus commune sit. Duplicem autem esse communionem. Alteram; quod ambo operando patiatur. Alteram quam post subiunget; quod eorum vterque potestate sit.

Verùm si rem ipsam attentius consideres, perfectio intelliges hæc ad ipsius intellectus, intellectiois naturam peruestigandam spectare. Et ideò tum ad primam Quaestionem de intellectu in se considerati differentia; tum ad secundam, quomodo intellectio fiat, aptissimè referri posse. Si ad primam retuleris, appositè dices, cum id antea accipere, ex quo tum propria illius natura, tum multiplices acceptiones atque appellationes cognoscantur. Hoc autem est, intelligere esse pati quoddam. Ex quo intellectum colliget patienti facultatem esse, sine corruptione tamen; suaque natura potestate: neque initas sibi habere intelligendarum rerum rationes, sed eas sibi paulatim comparare. Sanè hoc posterius primo loco ponendum fuisse velut illius principium & causa, quod prius commemoratur. Siquidem quia est potestate, ad actum intelligendo transit; eumque actum & formam suscipit, ad quam potestate existit; suscipiendoque patitur. Sed ex notioribus ad ignotiora progredi voluit: ex operatione inquam ad naturam, ex effectu ad causam, ex intellectioe ad intelligentem facultatem.

Propterea statim accepit intelligere: vniuersè scilicet operationem significat, quæ ab intellectu producit; & vt in superiori tex. quasiuit, quo modo fiat intellectio. Quoniam in superioribus tum vniuersè posuit ex operationibus facultates inuestigandas esse: tum verò in ceteris animæ partibus, ac facultatibus hanc methodum hætenus

**A**bservauit. Ab obiecto autem intellectu principium non fecit, vt in vegetantibus & sentientibus factum est; ab obiecto ad operationem, & ab hac ad facultatem progrediendo, ac demum à facultate ad animæ, quæ facultatis origo est & sensus substantiam ascendendo. Præsertim cum in text. 33. superioris libri non minùs de intellectu, quam dealimento & sensili, priùs, quam de operatione, quæ circa illa veratur, dicendum proponisset. Etenim, inquit Simplicius hoc loco, & Philoponus in commentatio illius secundi libri, in hac animæ parte obiectum vidit vt interius continetur, neque palàm positum est, vt alimta & sensilia; occultius esse, minulque notum, quam operationem, quæ nullo negotio obseruatur, atque in nobis ipsi animaduertitur. Immo nec facile definiiri posse, num intellectio prius sit quam intelligere, eundem illum locum enarrans Themistius dixit. Quinetiam cum sentire notum sit, quam intelligere; atque illius vis & natura tradita iam & explicata fuerit; libenter accepit sentire ad id declarandum, quod de intelligere dicturum erat. Hoc enim doctrinæ ratio postulabat.

Quare ita propemodum ratiocinatur. Intelligere eodem ferè modo se habet, quo sentire, aut certè non magno opere diuerso. Nam ambo cognitionem significant animæ, suntque cognoscendum facultatum operationes: quare generis similitudinem habeant oportet. At sentire est quoddam pati, vt in secundo libro traditum est: quia non est actu ipsa sensilia, sed potestate, eaque suscipiendo cognoscit. Intelligere igitur pati quoddam erit; aut intus ab intellectu, quem admodum sensus patitur à sensili; ita vt etiam ab eo, si vehementius fuerit, lædatur ac dissoluatur: aut aliud quidpiam eiusmodi, quod abique lædatur, ac dissolutione perfectionem solum adducat. Duo quidem certè de sensu antea tradita sunt. Sensum potestate esse ad sensilia, eaque suscipiendo

**D**ac patiendi fieri actu. Accursum ab immoderatis obiectis eum lædi ac dissolui. Propterea si intelligere est sicut sentire; aut vtraque ex parte simile fuerit, & intellectus item intelligendo tum patitur, tum lædatur & corrumpitur intus ab intellectu, sicut exterius sensus à sensili, aut absque lesione vlla & corruptione patitur solum atque intellectualem formam suscipit.

Hoc porò accepto, quenam sit intellectus natura & cuiusmodi passio, quamque multiplex sit, optimè collegit. Quippe idcirco intelligere est velut pati, quòd sua natura rerum omnium cognitione caret intellectus, omniumque capax existit; & ideò impermissus & abstractus ab omnibus. Quòd etiam sit, vt interdum potestate sit, interdum habitum, interdum actum; quidamque agens dicatur, & alter patiens. Prior hæc loci huius interpretatio magno opere mihi probatur; eum & Philosophi verbis, & rationi consentanea maxime sit, atque ad naturam & vim intellectus atque intellectiois explicandam accommodatissima. Quamquam & ex obiecto dici posset ad facultatem Philosophum progredi; dum ex eo, quòd intellectus omnia intelligit, potestatem quandam ad omnia spoliatam omnibus, & impermissum illum esse colligitur.

Quòd si ad posteriorem quaestionem euoluenda, quomodo intellectio fiat, hæc malueris persequi.

Dialectica

cinere; veeres primū interpretes, Simplicium & Auerroem, patronos habebis. Quorum alter inde inchoandum fuisse ostendet; quoniam vt essentia prior actionibus sit, potiores tamen actiones sunt, atque ab illis optimum erat ad ipsius intellectus, qui intelligit, contemplandam substantiam nos deducere. Alter hoc argumento confirmabit; quoniam genus prius est differentis; & idē de vniuerso primū intellectus generē dicendum fuit, tum illius differentia constitutenda. Deinde ipsa Philosophi verba tibi fauebant: siquidem intelligere & sentire operationes, non essentias, significant. Aliaque adferre poteris loca in quibus idem ipse Philosophus pluribus propositis questionibus à potestata ferē inchoare solet explicando, quod & in secundo libro fecit; vbi eū in tex. 19. duplicem proposuisset questionem; primam, an vnusquisque vitæ gradus sit anima, an animæ pars; alteram, an sint loco, an ratione sola distincti: omiſſa prior ad posteriorem respondet. Tum verò ad des. tex. 12. & 13. libri 1. in quibus ex intellectus vi & natura, ac modo, quo perficitur, inuestigandam esse posuit intellectus, atque animæ intelligentis naturam, & conditionem. Ac demum subiunges doctrinæ ordinem, methodumque principio propositam, hætenusque seruata in cæteris ita postulas; vt ab operationibus inchoaret, & ab illis ad facultatem progrediretur: faciliusque fuisse; tum quia operatio sua natura notior est facultate: tum ex sententia modo antea declarato; quemadmodum intellectus fiat, quæque sit intellectus natura, assequi. Et idē Philosophum nunc sententiam in medium adducere; quasi aut connexionem significando posterioris huius questionis cum superiori explicatione: aut causam, cur hinc intellectus tractationem ordiatur, ostendendo: nimirum propter faciliorem explicationem ac doctrinam. Verē namque ex intellectus natura exposita intellectus natura mox cognoscetur; eum esse facultatem intellectuum omnium formarum susceptricem sine materia: & idē impermixtum corpori atque ab eo separabilem. Rursumque potestate interdum, interdum habitu, interdum actu; interdum agentē, interdum patientem. Et idē vt vno verbo dicam, quæcumque ad intellectum questiones pertinent, ex vnica illa facile explicantur.

Cæterum ego eum nō parū laudarem, qui tertiam quandam interpretationem faceret. Aristotelem vtramque simul propositam questionem aggressi; atque de intellectione & intellectu absolute ita deinceps disserere, vt facile vtriusque questionis explicatio intelligeretur. Et idē principio non tam duas questiones seorsim tractandas proposuisse, quam ea præmonuisse, quæ ex illa, quam parabat, tractatione colligenda essent, & in intellectu in primis consideranda. Cur autem coniunctim, & simul tractaret; ea fuit causa, quod duas illas questiones tantopere complicatas videret, vt vna sine altera explicari nō posset. Neque. n. quæ intellectus natura sit, quamū differentiam habeat, dici poterat; quin diceretur esse facultas ad cognoscenda omnia comparata, nullamque à natura cognitionem habens, sed ad omnia potestate. Et idē impermixtam esse: intelligendo autem suscipere & pati. At nisi hæc eadem repetantur, declarabitur nunquam quomodo intellectus fiat.

Porō quamcumque harum interpretationum acceperis, sapienter eum ex sensus passione ad eam,

quæ intellectus est, ratiocinatum fuisse dices. Quoniam in sensu manifesta magis erat. Tum quia in superiori libro explicata. Tum quia non solum patitur sensus; sed corporis item organum: atque à vehementibus obiectis corrumpitur; In intellectu autem nullum est organum, quod pati queat. Nec à quibusvis licet vehementissimis obiectis læditur; immo confirmatur magis, robustiorque ad operandum euadit. Quod si ita est; eoque conueniunt hæc due facultates, quod ambe ad rerum cognoscendarum formas suscipiendas potestate sunt eaque operando suscipiunt & patiuntur: profectō hæc passio, qua similes sunt, ne in sensu quidem consideranda est in organo, sed in ipsa facultate. In facultate verō passio alia non est, quam ipsius cognitionis, quæ in cognoscente remanet, susceptione. Eadem igitur in intellectu quoque passio accipienda est; quæ dicitur pati, quatenus actionem suam intellectus, seu intellectus rei formam, suscipit. Præsertim quod si pati diceretur intellectus susceptione speciei ab intellectu diuersa; negasset id Plato, qui species illi instas & innatas posuerat. Ita intelligere est velut sentire; quia vt ambe sunt cognitiones quædam, similitudinem eam generis habent, qua passiones quædam & susceptiones existunt. Passiones inquam & susceptiones, non puræ & sinceræ, sed cum actione permixtæ. Et idē sensus & intellectus, tum agendi tum patiendi facultates sunt; agendi, quatenus actionem suam promunt; patiendi, quatenus eam ipsam suscipiunt. Patiendi autē ab obiecto, quatenus actio illa comprehensio est & forma obiecti cogniti.

Propterea cum intelligere sit pati, deinceps adit aut esse pati ab intellectu, licet patitur sensus à sensibili: in quo etsi sensio formaliter sit perfectio, passioque perficiens, non corrumpens; vt in tex. 57. & 58. superioris libri traditum est; adiunctam tamen habet corruptentem, & veram passionem organi, propter quam ipse quoque à vehementibus sensibilibus cum organo læditur & interit. Et idē ait: aut pati quoddam) hoc est ratione adiuncti organi, sicut in sensu: in quo dum in sentiente facultate susceptio perficiens est, organum quidpiam corrumpens patitur. Quare videtur quæri, an intelligere sit organica operatio, cuius organum intus patitur ab intellectu, sicut organum sensus à sensibili exterius patitur.

Aut aliud quidpiam eiusmodi). Quod alterum membrum, tanquam intellectus proprium adiecit, vt diuersam esse ostenderet intellectus passionem à passione sensus. Primum. n. sensus magis proprie dicitur pati; quoniam præter propriam ipsius passionem est etiā in eo vera, & persæpè noxia & corrumpens organi passio: In intellectu non item; sed mera & simplex ipsius perfectio. Deinde obiectum sensus est extrā, prorsus corporeum, ab eoque distinctum ac separatū: in intellectu vt stat intrinsecus, ita incorporeum penes ipsum existit. Vterque igitur passioni simile quidpiam habet, dum in utroque migratio quædam est à potestate ad actum, suæque actionis velut formæ obiecti cogniti susceptio. Sed maior in sensu similitudo cernitur; in quo tum corporeus adest organi motus, tum forme minis immaterialis susceptio, tum passio ab obiecto externo & separato. Quippe in tex. 2. lib. 9. Metaphys. patiendi potestas principium esse definitur transmutationis ab alio vt aliud est. Sensusque, vt in tex. 59. & 60. superioris lib. dictum est, ad actum

Qualis  
in sensu  
& intel-  
lectu  
passio.

Intelle-  
ctus est  
sensus  
passio  
diuersa.

reducitur ab obiecto externo; intellectus à seipso, aut certe ab intellectu agente; qui aut cum patiente idè re est, aut certè eiusdè animæ pars & facultas.

Tres passio- nis gra- dus.

Itaque tres quasi passionis gradus constituit. Primus tū in corporibus cæteris, que sūt sub luna; tū in sc̄lus organo cernitur. Alter in sēsu ipso. Tertius in intellectu. Primus corruptens est, & propriè dictus. Alter perficiens duntaxat per se; sed priori quoquo modo similis, quatenus propter organum adiunctam habet corruptionem. Postremus huic alteri utrumque similis, non tam passio, quàm eiusmodi quidpiam nominatur; hoc est eatenus passioni simile, quatenus immaterialis prorsus & incorporea actio corruptione omni carens materiali & corporeæ similis dici potest.

Digressio XX. Aduersus Simplicium de sola intellectu intellectus potestate hæc accipientem.

Am verò cum hæc Simplicius ait de sola intellectu intellectus, qui potestate vocatur, intelligenda esse; nõ de intellectu habitu, aut actu: & idè hypotheticam illam loquutionem (si intelligere est velut sentire) ita interpretatur; si intelligere illud consideretur, quod est velut sentire; quod quidem est intellectus potestate, quem is solas accidentium formas ait cognoscere. Nimirum vt eodem ordine has intellectus differentias Philosophus prosequatur, quo de cæteris animæ facultatibus dicere aggressus fuerat; ab imperfectioribus inquam ad perfectiora; ab intellectu potestate ad eū, qui actu existit; promouendo per intellectum habitu, quo substantialis notiones & formas comprehendat. Ego quidem certè non omni ex parte assentior.

Primum, quod intellectum potestate, & habitu non benè accipit; eum cum, quem Aristoteles omnibus formis carentem facit, accidentium formis ornatum dicit; & eum, quem singula factum mox trader, solis substantiarum formis constare asserit. Deinde quoniam est intellectui potestate præcipue conueniant: tum quod is maximè sensui similis sit, dum solam animæ facultatem significat, quæ ad operandum est potestate. Tum quod in hoc primo tractationis ingressu, quo de intellectu absolute queritur, vt intellectu inde natura cognoscatur; de illa præsertim intellectu dicendū erat, quæ intelligentis facultatis absolute consideratè & vt ab anima proficiscitur, operatio est. Hęc. n. ad intellectus naturam ostendendam opportuna erat. Credendum tamen non est de intellectu intellectu potestate agi, quatenus potestate est; ab eo, qui habitu, & actu dicitur, diuersus; sed de intellectu absolute, vt intellectus est, operatione. Hoc etenim queritur, hoc que agendū erat. Quoniam verò intellectu absolute, & sincerè consideratus, antequam habitu, aut actu vllò aduentio imbua- tur, potestate est; hic ipse intellectus potestate vocatur, quæque de intellectu absolute dicuntur, primum & maximè conueniunt ei, qui potestate appellatur. Eadem tamen ipsa intellectu quoque, qui habitu, aut actu consideratur, quoquo modo conueniunt, voluitque Philosophus conuenire. Etenim dum de intellectu generaliter disputatur, atque vniuersè queritur, quo modo fiat; generaliter item & vniuersè respondenda sunt ea, quæ intellectu omni conueniunt. Alioqui si ea respondeas, quæ vni tantum speciei propria sint, ineptè respondebis. Non solum autè intelligere potest intellectus po-

testate; sed is quoque, qui habitu consideratur; verò, qui habitu re ipsa operatur, & intelligit: quæ enim alia sit intellectus operatio, quàm intellectus? Deinde in tex. 55. & 56. li. 2. an non intellectus Grammaticæ, aut scientiarum habitibus præditus intellectus est potestate esse ad actum secundum operationem non minus, quàm intellectus potestate ad habitum ipsum suscipiendum? Nonne sensum eodem modo legimus homini Grammaticæ, aut cuiusvis scientiæ habitu prædito, hoc est intellectu habitu esse per se similem? Sanè eo in loco potestatem duplicem interpretes omnes agnoscunt. Vnam primam, & operati- sentialem, & remotam; quæ est ad formam operandi principium. Alteram secundam, accidentariam, & propinquam; ad operationem; quæ ab obiecti forma proficisci potest. Sensumque cum Aristotele inquit non prima, sed altera potestate ad sententiam esse; velut intellectum non nudum, sed scientiæ instructum habitu.

Ita ipsomet Aristotele interprete habebimus comparationem sensus, & intellectus hoc loco propositam intellectu tum potestate tum habitu conuenire. Nam si vbi que potestas est, susceptio, & passio esse potest; horum uterque potestate est. Alter ad habitum & actum, & idè absolute potestate dicitur, quia præter actum suæ naturæ nullum alium aduentitium habet. Alter ad actum, qui habitu promi potest. Uterque intelligere valeat, vt habitum sibi comparet; hic, vt comparato fruatur. Magis que hic, quàm ille, sensui similis est; qui non habitu querit, sed habitum vsum. At eum vtique intellectu eam, ad quam est potestate, suscipit, patitur nimirum velut sensus. Rursus intellectus, qui est actu, non modo ad intellectu eam aliam promendam potestate est (hoc. n. ad habitum potius pertinere videtur) verum etiam ad illam ipsam, quam promi. Nam idè illam suscipit, suscipiendo que patitur. Sed in hoc est potestas conuenientia cum actu; in aliis ab actu separata. In hoc potestas est sine priuatione, in cæteris cum priuatione adiuncta. Certè potestatem eiusmodi Græci omnes interpretes exponunt, & in superioris Textus commentario adducit Simplicius, eum anima dicitur esse actus corporis potestate vitam habentis, est re ipsa & actu viuat.

Quod si intellectum habitu sensui simile non esse idem ipse Simplicius obicit; quoniam is intelligere potest seipsum; & licet obiectum præsens non sit, operari ex se ipso: eum sensus nec in seipso se conuertat, nec nisi præsentibus sensibus sentiat, intellectu autè actu post appellari improprie, separabile, & substantia actus; & idè pati nõ posse. Nullo negotio diluuntur obiectiones. Etenim non omni ex parte intellectu voluit Philosophus sensui simile esse. Sed in eo solum, quod ambæ facultates animæ cognoscetes sunt, ambæ potestate ad eandem cognoscendam formas suscipiendas, ambæ agendi, patiendique facultates; quæ scilicet operando quoquo modo patiantur. Cætera dissimilia penitus sunt, & quædã etiã contraria. Neque. n. ex eodem natura deriuantur, quæ cognoscetes facultates ambæ sunt; vnde similitudo petitur. Sed ex diuersa, & propria speciei differentia; quæ sensus materialis est & corporeus; intellectus immaterialis, incorporeus & substantia abstractus; ille organo in corporeo vti- tur; hic nequaquã. Inde. n. est, quod sensus veram & propriam passionem habet in organo, intellectus nullam. Sensus à vehementi sensu corrumpitur, intelle-